



EMINENTISSIMO ECCLESIAE ROMANAE
CARDINALI
ANGELO MARIAE QUIRINO
S. P. D.

ERNESTVS AVGVSTVS BERTLINGIVS.



Munusculum ad me Tuum adlatum est, quod tamquam aliquem nuntium Tuae clementiae cum grato pectoris motu arripui, vtpote a Viro in maximo inter mortales fastigio constituto profectum, cuius singularem erga eos, qui literis operam dant, benevolentiam celebrant multi, quos Germania nostra alit, viri eruditi. Libellus est huius indicis: *Angeli Mariae Quirini Epistola hortatoria ad Gregorium Rothfischerum ex Monacho Benedictino S. Emmerami Ratisbonae ad Protestantes transfugam*, quem inuolucro inclusum, nundinarum Lipsiensium occasione ad me misisti. Reuocat hoc donum in memoriam alium libellum Tuum, ante duos fere annos typis excusum, huius inscriptionis: *Iniustae secessionis ab Ecclesiae Romanae sinu etc.* Tantum vero maximae indignationis Tuae specimen forsitan non legerunt scriptorum Tuorum admiratores, quantum quidem in illo libro edidisti, in quo Ipse (cuius comitatem ac mansuetudinem alias mirati sunt quidam,) in me innoxium, qui nec Te, nec Tuos laesit, atque in commentationem meam tot conuicia studiose collecta insigniter cumulasti. Cura quidem Celsissimi S. R. I. Principis, *Ioannis Baptistae*, Imperialis Abbatiae ad S. Emmeramum, Abbatis, ad Te perlata est versio latina libelli, quem in gratiam meorum ante hos tres annos *de Iubilaeo, et indulgentiis Papalibus* conscripseram. Nescio tamen, qua ratione fieri poterit, vt innocens iste liber, quem amor veritatis, et officii mei fides